

The Electronic *Manipulus florum*  
[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

Penitencia m  
cum fontibus proximo et primo

Si quis positus in ultima necessitate sue egritudinis,  
uoluerit accipere penitenciam, et accipit et mox reconciliabitur,  
et hinc uadit, fateor uobis, non illi negamus quod petit,  
sed non presumimus quod bene hinc exit.

Si securus hinc exit, ego nescio.

Penitenciam dare possumus, securitatem aut non.

Nunquid dico: Dampnabitur? Sed nec dico: Liberabitur.

Vis ergo a dubio liberari? Tene certum et dimitte incertum. ←  
Age penitenciam dum sanus es.

Si sic agis, dico tibi quia securus es,  
quia penitenciam egisti eo tempore, quo peccare potuisti.

Si uis agere penitenciam, quando iam peccare non potes,  
peccata te dimiserunt, non tu illa.

Augustinus sermone XXXVI. et ponitur de penitencia  
distinctione secunda.

Quamquam de differentibus penitentiam AUGUSTINUS SCRIBAT:  
“Si quis positus in ultima necessitate sue egritudinis  
uoluerit accipere penitentiam, et accipit, et mox reconciliabitur  
et hinc uadit, fateor uobis, non illi negamus quod petit,  
sed non presumimus quia bene hinc exit.

Si securus hinc exierit, ego nescio.

Penitentiam dare possumus, securitatem autem dare non possumus.

Numquid dico, ‘Dampnabitur’? Set nec dico, ‘Liberabitur.’

Vis ergo a dubio liberari? Vis quod incertum est euadere?  
Age penitentiam dum sanus es.

Si sic agis, dico tibi quia securus es,  
quia penitentiam egisti eo tempore, quo peccare potuisti.

Si autem uis agere penitentiam quando iam peccare non potes,  
peccata te dimiserunt, non tu illa.”

Gratianus, *Decretum*, 2.33.3.7.2 (Gratian's “Tractatus de penitentia”, 2016, A.A. Larson ed., p.272, ll.36-45).

→ “...Ergo, tene certum, et dimitte incertum.”

Gratianus, *Decretum*, 2.33.3.7.2 (Gratian's “Tractatus de penitentia”, 2016, A.A. Larson ed., p.274, 1.62).

Quisquis autem positus in ultima necessitate aegritudinis sua  
acceperit paenitentiam, et mox reconciliatus fuerit,  
et vadit, id est, exit de corpore, fateor vobis, non illi negamus quod petit,  
sed nec praesumo quia bene hinc exit.

Caesarius Arebatensis, *Sermones*, 63.1 (CCSL 103, G. Morin ed., p.273).

Agens vero paenitentiam ad ultimum et reconciliatus,  
si securus hinc exeat, ego non sum securus.

Paenitentiam dare possum, securitatem dare non possum.  
Quod dico adtendite: habeo illud planius exponere, ne aliquis me male intellegat.  
Numquid dico, damnabitur? Non dico; sed nec liberabitur dico.  
Et quid mihi dicis, sancte episcope? Quid tibi dico? Nescio.  
Dixi, non praesumo, non promitto, nescio plus de dei voluntate.  
Vis te, frater, a dubio liberare? vis quod incertum est evadere?  
Age paenitentiam, dum sanus es.  
Si enim agis veram paenitentiam, dum sanus es,  
et invenerit te novissimus dies, curre et reconcilieris.  
Si sic agis, securus es. Quare securus es, vis dico tibi?  
Quia egisti paenitentiam eo tempore, quo et peccare potuisti.  
Ecce dixi tibi quare securus es.  
Si autem tunc vis agere ipsam paenitentiam, quando peccare iam non potes,  
peccata te dimiserunt, non tu illa.....

Quid horum tibi futurum sit, nescio; sed do consilium:  
dimitte incertum, et tene certum,  
et, dum vivis, age veram paenitentiam; ut, cum veneris in iudicium dei,  
non ab eo confundaris, sed ab eo in regnum inducaris.

Caesarius Arebatensis, *Sermones*, 63.3 (CCSL 103, G. Morin ed., pp.273-4).